Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

thus ad sacrificium. myrra ad sepulturam pertinet mor
tuorum. quia solent myrra condiri. ne putrescant.
Habes itaque in his non modicam sacramentorum cognitio
nem. in homine mortis. in deo resurrectionis in rege
iudicii. In auro quoque sapientiam intellige. ut ait
Salemon. Thesaurus desiderabilis requiescit in ore
sapientis. In thure uirtutem orationis ut est illud. Di
rigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. In
myrra intellige nostre carnis mortificationem. Unde
illud. Manus mee distillauerunt myrram. Mystice stelle
ortus primum a magis intellectus. indicat mox gen
tes in Christo credentes et creditas. Stella enim prophe
ticum sermonem Christi ortum significat. Herodes ue
ro dyabolum. qui Christi cognita natiuitate persequitur eum
in membris suis. A quo magi pergunt dum a bydo
latria recedunt gentes. et ad domum in qua Christus est
id est ad catholicam ecclesiam perueniunt. In quam per fidem
intrantes. inueniunt Christum cum MARIA matre eius.
Christi mater intelligitur fidelium societas. in qua per fidem
Christus habitat. Apertis thesauris suis id est litterarum
peritia. obtulerunt ei eterna munera. scilicet physicam
loycam. ethycam. uel hystoriam allegoriam. tropolo
gyam. uel sancte trinitatis fidem. Nomina autem magorum.
hebrayce: Apuleius. Ameri. Damascus. Apuleius
interpretatur fidelis. Amerius Damascus misericors.
Greca lingua uocati sunt. Magalat. Galgalat. Sa
racyn. Magalat interpretatur nuncius. galgalat de
uotus. Saracyn gratia. Et responso accepto in som
nis ne redirent ad herodem. per aliam uiam reuersi sunt
in regionem suam. Pro affectu desiderantes quid diui
na iuberet uoluntas accipiunt responsum non per
angelum. sed a domino diuinitus edocentur. ne iterum redeant ad
herodem. In quo amonemur omnem salutem et spem in
Christum locare. et ab itinere prioris uite abstinere. Per aliam
uiam ad regionem nostram ingredimur obediendo.
a qua discedimus inobediendo.

Qui Cum recessissent. ecce angelus domini in som
pnis apparuit ioseph dicens. Surge et ac
cipe puerum et matrem eius et fuge in egyp
tum. et esto ibi usque dum
dicam tibi. Futurum est enim ut herodes querat
puerum. ad perdendum eum. Notandum quod angelus cum MA
RIE desponsate uirginitatem commendaret. dixit
ad ioseph. Noli timere accipe MARIAM coniugem
tuam. Postquam uero incognita est. ut esse iusti ob hoc
ioseph uenerabilis castitas commendaretur. non uxor
eius sed mater pueri dicta est ut hic. Accipe puerum
et matrem eius. Et iterum. reuertere cum puero et matre eius.
Et rursum in luca. Erat ioseph et mater eius.
Et quotienscumque post partum de utroque fit sermo.
mater Christi non uxor ioseph nuncupata est. Qui in.
consurgens accepit puerum et matrem eius nocte. et
recessit in egyptum. et erat ibi usque ad obitum hero
dis ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam
dicentem. Ex Egypto uocaui filium meum. hoc est
testimonium ex osee propheta. Post magorum recessum im
pletum est tempus purgationis. et de inde ioseph
admonitus ab angelo fuit in egyptum cum matre et pue
ro. Quod dominus ne occideretur sublatus est in egyptum.
significat electos sepius malorum improbitate suis effu
gando sedibus. uel exilio dampnandos. Ubi simul ex
emplum datur fidelibus. ne dubitent rabiem persequentium.
quando oportunum fuerit declinare fugiendo. Unde
hoc. Cum uos persecuti fuerint in ciuitate una. fugi
te in aliam. Egyptus interpretatur tenebre et figurat
gentilitatem peccatis tenebrosam. Ioseph uero typice
apostolorum habet speciem quibus Christus creditus est circumferendus.
Est ergo puerum ihesum et matrem eius per ioseph in egyptum
transferri. fidem dominice incarnationis et ecclesie societa
tem per doctores sanctos gentibus committi. Quod erant in
egypto usque ad obitum regis. significat fidem Christi in
gentibus mansuram. donec plenitudo earum intro
eat. et sic israel saluus fiat. Obitus quippe herodis ter
minum intentionis maliciose qua nunc contra ecclesiam
iudea seuit insinuat. Nocte puer tollitur. incredu
lis recedit ignorantia. noctem relinquens cum uero reuer
titur nulla noctis mentio fit. quia in fine mundi
iudei luce fidei Enoch et Elya predicantibus suscipien
tes illuminabuntur.

Tunc Herodes uidens quod illusus esset
a magis. iratus est ualde. Cassyodorus in
psalmo xlvii dicit. spiritum uehementem fuisse.
quando herodes non redeuntibus ad se magis. iratus fecit
conteri naues de tharso sycilie. quibus magi crede
bantur occulte redisse. Et mittens occidit omnes
pueros. qui erant in betlehem et in omnibus finibus eius.
a bimatu et infra secundum tempus quod exquisierat
a magis. Ueri simile est cum magi nichil hero
di renunciassent. quod crediderit illos uisione stelle
deceptos. et ideo erubuisse redire ad se. et ita quiesi
uit a pueri inquisitione. Sed iterum cum audiret
que gesta erant in templo quod symeon dixerit et quod
anna prophetauit. sensit se illusum esse a magis et in
mortem Christi properans. occidit pueros in omnibus finibus